

[70v] Successive admodum reverendus plebanus Viterbi convisitator et ego infrascriptus pereximus ad visitandam ecclesiam parochialem Sancti Nicolai loci Urtacae, et ad praesens Sanctissimae Annunciationis, ubi humaniter recepti fuimus a reverendo Basilio Desideri moderno parocho; et factis precibus, visitavimus sanctissimum Sacramentum, quod sufficienter retentum deprehendimus, eoque plebanus praedictus populum benedixit. Etiam baptisterium sufficiens est et munde retentum. Visitavimus altaria, quae sunt tria. Maius, beatae Virginis Mariae Annuciatae; secundum a cornu epistolae, sancti Philippi Nerii iurispatronatus haeredum quondam Philippi Bonavita, de quo fusius in inventario, et tertium ex altera parte, beatae Virginis Mariae Rosarii. Ac praeter altare praedictum privatum, omnia manutentur a populo et sunt sufficienter ornata, unde laudanda fuit pietas dicti loci, ut ex decretis (etc.).

Annui redditus parochiales sunt librae 420 circiter. Familiae sunt 38. Unus sacerdos. Animae 211. Altare privilegiatum altare sancti Philippi. Et ita (etc.).

[...]

Pro ecclesia Sanctissimae Annunciationis olim Sancti Nicolai parochiali loci Ortaca

Intra sex menses nova comparetur pixis ad deferendum [77r] viaticum infirmis, sub poena  
librarum quinquaginta.

Nova etiam fiat alba cum cingulo intra tres menses, sub poena librarum triginta.

Faenestrae instruantur saltem tela cera linita, sub poena librarum decem. Caeterum ecclesia  
decenter quoad omnia manuteneret; atque ideo summopere laudanda est pietas parochi et populi,  
quos illustrissimus ac reverendissimus dominus hortatur ad perseverandum etiam in posterum.